


## W I L S H I R E.



Ulgo Latinorum *Wiltonia* à primario olim oppido *Wilton* denominata, *Wilsbire*, (quæ etiam Belgarum fuit) Anglo-Saxonice *Wilsetta*, ut illud à *Willy* flumine, tota est mediterranea. Somerssetensi enim agro ad occasum, Bercheria & Southantonensi ad Ortum, Glocestrensi ad Septentriones, Dorcestrensi & partim Southantonensi ad Austrum circumclusa. Regio cum viris bellicosis fecunda, qui (ut inquit in Polycratice Ioannes Sarisburiensis) subsidiariam inter Anglos cohortem in præliis sibi ob virtutem militarem, adjecta tamen Cornwallia, & Devoniam, vendicabant: tum omnium rerum copia eximie fertilis, & sua varietate admodum grata.

Septentrionalis pars collium amœnitate non nihil surgit, diffusis olim sylvis, quæ jam rarefcunt, vestita, & limpidis fluminibus irrigua. *Ips* enim Britannicarum aquarum regnator, qui postea *Tamisis* nomen assumit, cum jam tenuis est, aliique minorum gentium fluvii, quos suis commemorabo locis, perfundunt. Australis vero pars ampla, & herbida planitie innumeros ovium greges pascit, suosque habet fluvios, torrentes, & fontium perennium scaturigines. Mediã vero regionem, quæ maxima ex parte æqua etiam & plana, fossa interfecat transversa, admirando opere ab Ortum in Occasum per plura mill. perducta, *Wansdike* accolæ appellitant, quam pervulgato errore, à *Cacodæmone* die Mercurii ductam fabulantur. *Wodensic* enim Saxonice dicitur, id est, *Woodeni*, sive *Mercurii fossa*, & à *Woden* illo falso credito Anglo-Saxonum Deo & patre, ut videatur. Ego autem à Saxonibus ductam ad Merciorum, & Occidentalium Saxonum regna determinanda semper credidi. Hæc enim belli area fuit, dum illi de propagando imperio inter se decertarunt. Et *Wodensburge* viculus, huic fossæ adfidet, ad quem *Cæaulinus* Rex Occidentalium Saxonum bellicosissimus, anno salutis *DXC*, dum imperii sui fines tueretur, à Britannis & Anglis cruenta pugna ita fractus erat, ut solum necessario verterit, & exul miserando etiam hostibus spectaculo, diem obierit. Et ad hanc, ut alia taceam, *Ina* Westsaxo, & *Cæolredus* Mercius æquo Marte signa contulerunt. Huiusmodi fossa erat illa, qua Britannos à suis Mercii submovit *Offa*, *Offadike* etiamnum dicta, & aliæ etiam apud Orientales Anglos adhuc videntur, quibus se à Merciorum incursibus præmunierunt, de quibus suis locis fusius agetur.

In Septentrionali *Wiltoniæ* parte, qua *Tamisis* affunditur, *Crecklade* est oppidum, aliis *Grekelade* à Græcis Philosophis ut aliqui facile credunt, quos historia Oxoniensis ibi Academiam instituisse prodit, quæ postea Oxoniam translata. Sub hoc *Lediard* *Tregoze* sedes equestris familiæ de *S. Iohn*, quam *Margareta* de *Bello-campo*, sive *Beauchamp*, quæ postea Ducissa Somerssetti *Olivero* de *S. Iohanne*, filio secundo-genito dedit. Ad illam enim per *Pa-*

*tisbull*, *Grandison*, & *Tregoze* clarissima nomina hæreditario devenit. *Wotton Basset* huic finitimum, quod ad claram *Bassettorum* familiam spectasse ipsum nomen comprobat. Superiori vero seculo habitatio fuit Ducis Eboracensis, ut accepi, qui amplissimum ibi ad includendas feras vivarium statuerunt. Hinc *Breden* sylva, nunc *Bredenforest* longe lateque pertinuit, ab *Ethelwaldo* Clitone, & auxiliariibus Danis anno *DCCCCV*, omni bellide vastata. Ad cuius Occiduum latus *Avon* flu. (de quo supra) placide fertur, qui in Boreali quasi limite huius agri effusus in Austrum decurrit, limesque (ut *Æthelwerdus* notat) aliquando erat inter Occidentalium Saxonum, & Merciorum regna, ad quem magna subinde bella gesta fuerunt. Dum exilis est, *Malmesbury* collem sibi imminentem substringit, receptoque profluente, fere incingit. Oppidum sane elegans, & pannis laneis conficiendis celebre, quod, ut in historiarum Eulogio legitur, *Dunwallo* *Mulmutius* Britannorum Rex, una cum *Lakock*, & *Tetbury* castris construxit, & *Cæar Bladon* nominavit; cumque illud tandem bellorum incendio concidisset, ex ejus rudibus castrum emicuisse proditum est, quod majores nostri sua lingua *Ingelborne* dixerunt, quo tempore, Saxonici Reguli regiam suam ad *Caerdurburge* habuerunt, nunc *Brokenbridge* viculum, vix *M.* pass. distantem. Nec alio sane nomine, quam *Ingelborne* longo tempore notum hoc erat, donec *Maildolphus* quidam *Scoto-Hibernus*, vir summa eruditione, & singulari vitæ sanctitate, nemoris amœnitate captus, quod hic sub colle succrevit, heremiticam vitam ibi duceret: qui postea ludum aperiens, & cum auditoribus monasticæ vitæ se devovens, cœnobolum ædificavit. Hinc à *Maildolpho* illo oppidum *Maildulfesburge* pro *Ingelborne* dici cœpit, *Bedæ* *Maildulphi* urbs, & postea contracte *Malmesbury*: historicis etiam nonnullis, & in donationibus antiquis huic loco factis, *Meldunum*, *Maldubury*, & *Maldunsburg* nominatur. Inter *Maildulphi* discipulos floruit in primis *Aldelmus*, qui ejus successor designatus, ope *Eleutherii* Westsaxonum Episcopi, ad quem locus jure spectavit, longe pulcherrimum ibi monasterium construxit, eidemque primus præfuit, à quo etiam in manuscripto quodam libro, hoc *Aldelmesbirig* dicitur. Sed hoc nomen cito oblitteratum, viri tamen memoria permanet, utpote qui in *Sanctos* relatus. Et in ejus festo nundinæ hic sunt frequentes, militumque cohors scribi solet, ne discordia inter tot convenas oriretur. Dignusque sane est cujus memoria in æternitatem vigeat non solum sanctitatis, sed etiam doctrinæ nomine, ut ea tempora ferebant. Primus enim erat ex Anglorum gente qui Latine scripsit, primusque qui componendi carminis Latini rationem Anglos docuit, quod ipse de se his versibus promisit, & præstitit,

*Primus ego in patriam mecum, modo vita superfit,  
Aenio rediens deducam vertice Musas.*

Hunc *Aldelmum* jam defunctum in tutelarem Sanctum sibi ascivit *Athelstanus* ille *Magnus*, qui eo no-

Wotton  
Basset.

Breden  
Forest.

Malmes-  
bury.

Ingle-  
borne.  
Maildolphus  
Seotus.

Aldelmus.

Ips fl.

Wansdike.

Fossæ li-  
mitancæ.

Lediard.